

9. Pra. 9. num. 25.

DISSERTATIO IURIDICA IN AVGVRALIS
DE TESTAMENTO CORAM SOLO
IVDICE NON CONFICIENDO

QVAM
AVSPICIIIS DIVINIS
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
FRIDERICO CHRISTIANO
MARGGRAVIO BRANDENBURGICO BORVSSIAE SILESIAEQVE
DVCE RELIQUA BVRGGRAVIO NORIMBERGENSI RELIQUA.

P 469
EX DECRETO
ILLEVSTRIS IVRIS CONSULTORVM ORDINIS
PRAESIDE 1764,4
D. IOANNE IVSTINO SCHIERSHMIDIO
SERENISS. MARGGRAV. BRANDENBURG. CVLMB. CONSIL. AVL.
ANTECESSORE ET PHILOSOPHIAE PRACTICAE PROFESSORE ORDINARIO
FACULTATIS IURIDICAE H. T. DECANO
PATRONO ATQUE PRAECEPTORE SVO VENERANDO
PRO GRADU DOCTORIS
SVMMISVE IN VITROQVE IVRE HONORIBVS ET
PRIVILEGIIS RITE CAPESSENDIS
D. . AVG. MDCCXLIII.
PVBLICAE ERUDITORVM DISQVISITIONI
SUBMITTIT
AVCTOR ET RESPONDENS
GWILIelmvs PHILIPPvs CRAMERVS
SVNFVRTHENSIS
IN CIVITATE PATRIA PROCVRATOR ORDINARIVS.
ERLANGAE
LITTERIS TETZSCHNERIANIS.



DIESSEITIGE VERGEGENSTÄNDIGE NAMENSCARTEIS

TESTAMENTE ECKERMÜLLER

HIERDIE WORN CONSIDERINDI

GEGENSTÄNDIGE VERGEGENSTÄNDIGE NAMENSCARTEIS

TESTAMENTE ECKERMÜLLER HIERDIE WORN CONSIDERINDI

MINO

VIRO
ILLVSTRI AC GENEROSISSIMO
PHILIPPO ERNESTO
A SCHEGCK,

SAXO - WEIMARO - ISENACensi NEC NON HOHENLO-
HICO - SCHILLINGSFÜRSTENSI CONSILIARIO AVLICO, NOBI-
LITATIS IMMEDIATEAE FRANCONICAE IN PAGO
RHOENA ET WERRA DICTO CONSILIARIO
ET INCLYTAE CIVITATIS IMPERIALIS
SVINFVRTHENSIS

CONSULI MERITISSIMO
PATRONO SVO MAXIMO
PERPETVA OBSERVANTIA
PROSEQVENDO
HANC DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM
CVM
PERPETVO FELICITATIS VOTO OFFERT
DEDICAT
STUDIOSSIMVS
GVILIÉLMVS PHILIPPVS CRAMERVS.

VIR ILLVSTRIS

ET

GENEROSSISSIME,

A



Non longe mibi petenda videntur rationes,
cur TIBI VIR ILLVSTRIS ac
GENEROSSISSIME, hanc differ-
tationem academicam offerrre suslineam. Etenim quoad
mens mea potest respicere spacium praeteriti temporis, et
memoriam recordari ultimam, magna sane in me exti-
terant


terunt merita , atque amicitiae **TVAE** que benevolen-
tiae documenta. Enumerare etiam hac occasione pos-
sem , qui altis mos est , excellentissimas **TVAS** vir-
tutes , eximiam pietatem atque merita in patriam ,
summam in agendo prudentiam , singularem doctrinam ,
et quae sunt innumera alia , quae et me , et omnes
ad **TE** venerandum et omnibus modis suscipiendum
summo opere incitant ; Sed leges modestiae **TVAE**
graviter laederem , si in amplissimas virtutum **TVAE**
RVM laudes excurrere , quam meum **TIBI** stu-
dium testari mallem , properea quod , qui publice se-
dent Iudices in Republica nostra , eruditionis **TVAE**
excellentissimae præconia iam faciant verissima aequa
ac amplissima. Nibil itaque reliquum esse mihi vide-
tur , quam ut Deum optimum maximum implorem ,
velit **TE** omni prosperitatis genere beatum diutissi-
me servare , consiliisque **TVIS** publicam salutem pro-
ventibus

ventibus adesse rerumque **TVARVM FAMILIAE**
que **TVAE** Splendidissimae statum omni tempore
et florentissimum et fortunatissimum reddere. Vale et
age feliciter, nec in posterum me **TVO** favore in-
dignum iudica

TANTI TVI NOMINIS

ERLANGAE
D. X. Avg.
M DCC LXIV.

STUDIOSSIMVM
GVILIELMVVM PHILIPPVM CRAMERVVM.



DISSE^TAT^O IVRIDICA INAVGVRALIS.

D E

TESTAMENTO CORAM SOLO
IVDICE NON CONFICIENDO

§. I.



Eorum a partibus nunquam steti, qui ex receptione Iuris romani, Germaniam multum detrimenti cepisse autemant. Romani enim quod ex arrogatis prudensissimorum tunc tempore graecorum legibus didicerunt,

VIII DISSERTATIO IVRIDICA IN AVGVRALIS

runt, suis interpretamentis, disputationibus forensibus propriisque institutis per tot annorum interualla ita perfecerant, vt vbique, si negotia stricti iuris excipias, in eorum legibus ius ciuile vniuersale quod ius gentium vocant, agnoscere possis; Nec est, cur mireris. Siquidem ipsa iuris naturalis scientia, apud omnes tunc tempore gentes moratores sub nomine *Sapientiae*, venibat, ideaque *Graecorum* non minus ac *Latinorum* sapientes vbiunque honestum iustum et aequum naturale explicare solebant. *Iustum* quidem *naturale* in omnibus negotiis humanis regulam constituebat, *aequum* vero *naturale* non prius sequebantur, quam in casu, quo iustum *naturale* aut nihil definit, aut honestati, et humanitati admodum aduersatur. Ita enim demum exceptio a iusto *naturali* permissa aequitatem *naturalem* procreare solet. Nunquam autem sapientissimi legum conditores alia quam hac via vtebantur, dum rem publicam saluberrimis legibus adornarunt adseros annos valituris. Intellectu igitur facile est, cur ius ciuile ab antiquissimis temporibus inter gentes moratores Sapientesque graecos nutritum ex *Gracia Romam* commigratum ibidemque per tot saeculorum intervalla inter ICtos nostri et prioris aeui prudentissimos ad senectutem canescere magnamque

auto-

autoritatem vbique fere terrarum consequi potuerit.
vid. DVAREN in *Praef. ad Pand.* Et quamvis plures
inter nostrates contra ius civile querelas moueant
acerbores, quod post eius receptionem in Germania
paæta hereditaria, quae Germanorum fidei maxime
congruunt, deficere et in locum eorum testamenta
aut fideicommissa ex iure Romano surrogata magis
frequentare coeperint. Minime tamen Germaniam
inde iacturam, quin potius desideratissimum quaestum
fecisse certo persuasus sum. Mea quidem sententia
Romani a vero neutiquam aberrarunt, cum paæta he-
reditaria bonis moribus repugnare, ideoque inter cives
autoramentum non omnino consequi posse constitue-
rint. Reste enim paæta inhonesta aut iniqua né-
gotiis adscribuntur bonis moribus contrariis. Quis
vero in dubium vocare audet, quam plurima saltem
paæta hereditaria experientia adstipulante propter va-
rias, quae inter homines, dicam amicos, quotidie col-
lidunt, causas, aduersum tristemque habere euentum
ideoque in paæta abire aut inhonesta aut iniqua. Al-
ter quippe qui ex pacto hereditario obligatum sentit
promittentem, haud raro benefactorem suum susque,
teque habere incipit, qui alteri nihil amplius auferre
potest; Quid quod benefactor ex libertate, qua hæc-
nus gauisus fuit, in seruitutem quasi ingratorum, et

Testamen-
ta paætis
heredita-
riis sunt
præferen-
da in Re-
publ.

B

in-

X DISSERTATIO IURIDICA IN AVGVRALIS

infidorum cognatorum aliorumque, cum quibus pactus fuerat, coniicitur; nec amplius de rebus suis quid disponere, nec aliis amicis, quos forsitan nouiter consequitus fuit, aliquid ex rebus suis ob iixas cognatorum conferre potest, quinpotius amicis plerisque, quios ante habuit, destitutus vitam tegit miserrimam. Quotidie fere tales exitus *habet contracūs vitalitius*. Evidem dubium facile praeuideo, quod plura adhuc in Germania deprehendantur pacta hereditaria, in quibus tales euentus saepenumero exulare solerent, puta si talia pacta hereditaria particularia sint: Ast iuri gentium magis conuenire arbitrati sunt Romani, ut simpliciter prohibeatur, quod alias sub certis determinationibus raro contingentibus adhuc tollerari posset, ne in fraudem legis peccandi causa porrigitur. Quin potius actum, quo quis absque animo sese obligandi declarat, cuinam vel quibusnam indiuiduis hereditatem velit relinquere, quod TESTAMENTVM nuncupant, in locum pactorum hereditariorum subrogare eidemque ex plenitudine maiestatis post mortem tales attribuere effectus satius existimarunt, quos alias ex iuris naturalis rigore sola procreant pacta successoria.

CON-

CONCLVS. I. In testamento deprehenditur promissum vnius alteri absque animo sese obligandi factum (§. praef.) sed illud, quod absque animo nos obligandi alteri promisimus, reuocare possumus, quantumlibet (§ 418. c. 5. I. N. Dn. PRAES.) voluntas ergo testatoris ambulatoria est usque ad supremum vitae exitum.

Differentia
testamenti
et pacti he-
reditarii.

L. 4. ff. de adm. vel transfer. legatis. Contra vero pacta hereditaria, quod cum animo sese obligandi percutiuntur, catenus, quatenus in iisdem de rebus nostris disponimus, facultatem testandi, h. e. ulterius de iisdem rebus disponendi auferunt, §. praef. et (§. 439. I. Nat. Dn. PRAES.) nisi quatenus lege ciuili pactis successoriis vis obligandi ademta. HARTM. PISTORIS P. 4. Q. 1. et 2, et seq. B. a WERNH. P. 2. Obs. 406. MIEVIVS ad Ius Luebecns. P. 2. t. 1. n. 90. in fine.

NOTA: Moestissima igitur conjectaria, quibus pacta hereditaria suos promittentes ob ademtam ulterius de rebus suis disponendi facultatem plerumque inquietare solent; testamentis in locum eorum sufficiens, sublata sunt, (§. praef.). Eamque ob causam post receptionem iuris Romanii in Germania testamenta magis magisque frequentare coeperunt; Quoniam vero Germani ante arrogationem iuris Romanii non nisi pactis hereditariis de rebus suis alteri post mortem relinquendis disponere sueti fuissent; Fieri non potuit, quin ex inueterata consuetudine, et odio hinc inde in ius Romanum receptum gliscente, pacta

Cur pacta
hereditaria
in Germa-
nia obli-
gent.

XII DISSERTATIO IURIDICA IN AVGURALIS

hereditaria vim suam obligandi retinerent, Germanique vel plurima saltem pacta dotalia, licet in iisdem quoque de hereditate vnius ab altero acquirenda disponerent, per modum contractus potius, quam per modum ultimae voluntatis celebrarent. Ceteroquin vero, si principes, eorumque pacta confraternitatis excipias, testamentorum frequentia inter priuatos ciues multum ubique pactorum hereditariorum numerum superat. Hinc est, cur Icti nostrates, si illos eximis, qui studio iuris germanici antiquioris vnicce delectantur, in dubio pro testamento, et ultima voluntate potius, quam pro pacto hereditario prae sumptionem capiant. B. A WERNHER P. 2. Obs. 406.

CONCLVS. 2. Paetis successoris, si vim testatorum obligandi excipias, testamenta ex legis civilis autoritate surrogata fuerunt. (s. praef.). Quis vero dubitat, nos alteri sub modo aut sine modo hereditatem promittere posse (§. 425. I. N. Dn. Praef.) Testatorem igitur alterum aut sub modo aut sine modo heredem

Vnde fidei-
commis-
sa
et legata
derinantur.
instituere posse, palam est. Sub priori positione testator heredem instituit cum animo ipsum obligandi, ut tertio cuidam aliquid praestet, quod aut ipsa hereditas eiusve pars aut res haereditaria esse potest. Vnde fideicommissum vniuersale in primo, in altero vero casu legatum vel fideicommissum particulare prodit.

CONCLVS. 3. Promittere aliquid possimus pure, sub conditione suspensiua, resolutiua, in diem, ex die,

die, etc. (417. 418. I. N.) Hinc nullus dubito, quin aliquem in testamento, pure, aut sub conditione suspensiva, vel resolutiva heredem instituere, aut alicui alioquin in diem, vel ex die, vel saltē in codicillo prospicere possumus.

N O T A. Ratio, cur testator *ordinarie* pro parte testatus et pro parte intestatus simul decedere non poterat apud Romanos, ex illa forsitan, quam inter testatorem et heredem intercessisse fingebant, familiae emtione deriuari potest. Vox enim **FAMILIAE** indefinite posita totam regulariter comprehendit vnius ciuishereditatem. **Vterius explicatur,**

Nihil igitur post hanc familiae emtionem regulariter in hereditate remanere videbatur, de quo testator amplius legare potuisset. Licet vero Romanorum prudentes post hanc L. XII. Tabularum semel conditam animaduerterent *Oeconomiae iuris gentium* minime repugnare, quo minus quis pro parte tantum e. gr. dimidia de hereditate sua testari possit, alteram hereditatis partem heredibus legitimis, h. e. ab intestato relinquendo. Sacramentum tamen, quod in LL. XII. Tabularum iurauerant, non permittebat hanc immutare regulam. Quod vero per directum efficere non poterant, per indirectum h. c. per codicillos, a testamento solenni diversos impletabant. Hinc LLXII. Tabularum non repugnare vi sum fuit Romanis, quod quis **EXTRA ORDINEM**, h. e., codicillis vel aliis testandi modis priuilegiatis pro parte testatus et pro parte intestatus simul decedat. Ideoque cum idem deprehenderent, in herede, qui aut in diem

XIV DISSERTATIO IURIDICA IN AVGVRALIS

aut ex die institutus fuit. Nihil amplius obstat videatur Romanis, quo minus oeconomiae iuris gentium convenienter testator in codicillis alicui (heredi) aut in diem aut ex die prouideat.

§. II.

Testamenta cur LL. pos-
tituas pro-
prie tales
contineant, Ex surrogatione testamentorum ciuili in locum pa-
ctorum hereditariorum voluntas testatoris sola heredem
obligat, ad implenda, quae ille huic praescripsit. (§.
praeſ.) At enim ea sancta, quae alterum ex sola vnius
voluntate obligant, leges posituas proprie tales effici-
unt: Testatoris inde placita ex autoritate ciuili, legibus
positiuis simpliciter talibus propriis accedunt, quam legi-
bus positiuis secundum quid talibus, h. e. conuentio-
nalibus. Hae enim non tam ex voluntate vnius sola,
quam potius ex voluntate duorum vel plurium con-
spirante vim obligandi nanciscuntur.

§. III.

Cur testa-
menta pri-
mum in co-
sum nanciscuntur, qui imperium in alterum obligan-
tis con-
dita sint, Leges posituas proprie tales non nisi ab eo robur
iamiam subiectas respiciant, ex iuris Romani Oecono-
mia ab eo demum robur suum vindicabant, penes quem
apud Romanos erat summa Imperii civilis potestas. Pri-
mis

mis quidem temporibus summam imperii civilis potestatem Senatus populusque Romanus in Comitiis Callatis exercebat. Lauterbach. Colleg. theor. pract. lib. 28. t. I. §: 42. Quid ergo mirum, quod Romani primum testamentis, quae alias personas extra familiam testatoris respiciebant, in Comitiis rogatione robur impertirent atque autoritatem, libripende et familiae emtore pro ea, quam in tali testamento interuenisse fingeabant, familiae emtione accersitis. §. 1. Inst. de testam. ordin. Fragment. LI. XII. Tabular. tit. XIX.

§. IV.

Multiplicatis cum incolis legibus constitutisque Magistratibus, qui ius dicebant, comitia non ita frequenter ac quidem olim instituebantur; Ne igitur Quiritibus copia et occasio condendi Testamento deficeret, aetum testandi priuatum: qui publicum tamen imitabatur, substituerant; Cum itaque populus Romanus in quinque Classes diuisus in Comitiis ad condendas leges testamentaque corroboranda comparuisset; primum quinque Ciues ex Comitiis tamquam Deputatos quinque Classem delegabant, coram quibus sub praevia ad hos facta rogatione, testator declarabat suam voluntatem, deinde nec in ipsa testamenti confectione duas adhuc alias personas e Ciubus accersere oblii fuerunt, qui libripendis et familiae emtoris personas sustinebant.

Sicu-

Privata te-
stamenti
confectio
apud Rom-
publicam
imitabatur.

XVI DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS

Sicuti vero his actibus variisque aliis testamenti publicam factionem imitantibus Romanorum prudentes iura Senatus populiique, et obligationem testatoris arbitrarie explicare intenderent, ita quoque ab his temporibus testamenta privata solemnia prodiere. Solemnitates enim procul dubio in actibus deprehenduntur, qui iura vnius et obligations alterius arbitrarie significant. Dn. Praef. El. Iur. Ciuit. L. II. Tit. 9. §. 2. et seq.

Cur testamentum parentum inter liberos a solemnitatibus ex-ternis terminis exemptum.

CONCLVS. 1. Parentes in liberos domesticos imperium paternum consecuti sunt; Hinc ratio solemnitatum ciuilium, quae alias in testamentis extranei inter prioritatis ex-uates parientes condendis, desiderantur, in testamento parentum inter liberos in totum exulare mihi videtur, ideoque tale testamentum ab omnibus solemnitatibus testatorum externis analogiae iuris Romani admodum conuenienter eximebatur, et recte inter testamenta priuilegiata ac minus solemnia collocabatur. L. 21. §. 1. Cod. de test. Nou. 107. Cap. 1.

Vlterius explicatur.

NOTA. Et huic iuris gentium et ciuilis oeconomiae tam exacte tamque rigorose inhaerebant Romani, vt si vel vnica saltem persona extranea e. g. vxor in hoc testamento parentum inter liberos, iisdem admisceatur a parente testatore testes desiderarent. Nou. 107. Cap. I. in fin. Vtrum autem in tali testamento duo testes ex argum. L. 12. ff. de testibus sufficient, an vero quinque ex argumento a codicillo desumpto, an septem testes necessaria-

DE TESTAMENTO CORAM SOLO &c. XVII

cessarii sint, adhuc sub iudice lis est. Quam plurimi
Icti priori sententiae accedunt, CARPOV. P. 3. C. 4.
def. 20. LEYSER. ad ff. spec. 9. et 367. m. 6. BERGER,
P. 1. Resp. 370. Licet altera ex duabus posterioribus
sententiis oeconomiae iuris Civilis magis conuenire, mi-
hi videtur.

s. V.

Lege Regia Imperium ciuale summum cum omnibus re-
galibus in imperatorem translatum fuisse, ex historia co-
gnitum habemus. Cum autem a primis Romanorum tem-
poribus, ius illud testamentis ciuium vim legis et potesta-
tem impertiendi vtique inter regalia palmaria referrent,
ideoque in comitiis exercerent Quirites (§. 3. et 4.). Im-
peratores Romanorum recte ex *Lege regia sibi vindica-*
bant ius testamentis ciuium suam impertiendi vim atque
potestatem legalem. Ratio igitur, cur in testamento in-
ter priuatos parientes conficiendo, tales adhibuerint solen-
nitates Romani, quae publicam in comitiis obuiam te-
stamenti factionem imitarentur, in testamento principi
oblato prorsus exulat. Hinc *Imperator in L. 19. C. de*
test. testamentum principi oblatum, a solennitatibus testa-
mentorum externis exemptum esse, voluit.

CONCLVS. I. Haec oblatio testamenti principi fa-
cta, quod procul dubio inter res facti referenda est; Cur haec
omnino probatione indiget. Quaeritur itaque, an haec oblatio te-
stam. probatio per testes, an per instrumentum fieri possit.
probationem exigat,

C

Te-

XVIII DISSERTATIO IURIDICA IN AVGVRALIS

Testamentum enim non solum intuitu testatoris, qui regulariter saltem de omnibus rebus suis disponit, verum quoque intuitu cognatorum, quibus per testamentum successio ex lege saepenumero auctoratur, utique inter res magni momenti ponitur ideoque vel maxime probatione indiget, ne fraudibus aliorum aut testatori aut cognatis alias ex lege succedentibus inferatur iniuria.

Viterius
explicatur.

NOTA: Hinc ipsi imperatores, qui in probanda hac Oblatione plura litigia suboriri posse perspicerunt, non pauciores in lege citata suppeditarunt facti circumstantias, ex quibus illa ab aliis forsan in dubium vocata oblatione testamenti principi facta, probari possit. *Omnium enim inquiunt imperatores in l. c. testamentorum solemnitate superare videtur, quod insertum mera fide precibus inter tot nobiles probatasque personas etiam conscientiam principis tenet. Sicut ergo securus erit, qui actis cuiuscumque iudicis, aut municipum aut auribus priuatorum mentis suae postremum publicavit iudicium: ita nec de eius unquam successione tractabitur, qui nobis mediis et toto iure, (quod in nostris est scriniis constitutum) teste succedit etc.* etc. Omnibus etenim praestandum esse censemus, ut libro arbitrio, cui testandi facultas suppetit, successorem suum oblatis precibus possit declarare, et stabile sciatis esse, quod fecerit. Nec institutus heres pertimescat, cum oblatas preces secundum voluntatem defuncti idoneis testibus possit approbare, sed ei alia nocere non possunt. Qanuis igitur in l. cit. testamentum

DE TESTAMENTO CORAM SOLO &c. XIX

mentum principi oblatum ab omnibus solennitatibus
exemptum esse voluerunt imperatores; tantum tamen
abest, ut huius oblationis probationem insuper habue-
rint, ut potius ea imprimis inculcent, quae aliquando
huic facto oblationis fidem conciliare possunt.

CONCLVS. 2. Ante omnia vero praesupponen- De preci-
bus pro-
bandis.
dum testamentum principi cum his additis precibus a
testatore esse oblatum, ut princeps illud confirmet, h.e.
ejdem vim et autoritatem legalem tribuat. Licet igi-
tur in scrinis principis testamentum alicuius priuati in-
veniretur, de precibus autem illius testatoris principi
eum in finem factis nihil certi constaret, testamentum
istud pro testamento principi oblato haberi non posset.
In hac enim supplici testatoris rogatione apud princi-
pem facta, ut testamento vim legalem impertiat, formu-
le huius testamenti consistit, ideoque hac rogatione desi-
ciente testamentum istud, quod in scrinis principis forsitan
deprehenditur, pro testamento imperfecto univollzogen, et
consequenter pro scriptura habendum, quam quis ad
testamentum faciendum paravit. BERGERI in Consiliis
P. I. Conf. 255.

CONCLVS. 3. Interea formae huiusmodi testa- Quomodo
Probari
possit haec
testamenti
oblatio.
menti principi oblati, minime officere, arbitror, si testa-
tor apud principem verbis tantum nuncupatiuis roga-
uerit, ut princeps testamentum traditum, sua, qua pol-

C 2

let,

XX DISSERTATIO IVRIDICA IN AVGVRALIS

let, autoritate legali corroboret, modo aliquando heres hanc supplicem testatoris sui rogationem nuncupativam aut testibus idoneis, duobus vel saltem, aut documento quodam publico, quod schedulam recognitionis hodie vocant, probare possit. Sub priori tamen positione, duo vel saltem testes idoneos ad probandam hanc supplicem testamenti oblationem et rogationem vel ideo necessarios esse existimo, quod numerus pluralis testium in lege cit. positus, pauciores quam duo testes secund. L. 12. ff de testibus, nunquam admittat.

CONCLVS. 4. Ratio, cur testamenta principi debito modo oblata, a solennitatibus testamentorum exter-

Testamen-
tum princi-
pi oblatum
ab internis
testamentis
requisitis
non est
exemptum.

nis exempta esse voluerunt imperatores, in iis exulat, quae circa interna testamentorum leges ex praecepsis gentium et ciuilibus fanciuerere (§. praef.). Hinc, quae ex his praecepsis leges circa testatorem, heredem eorumque habilitatem, circa legata, fideicomissa, circa legem Falcidiam, circa reuocationem totius testamenti, circa ademptionem legatorum, circa inuentarium hereditatis &c. determinarunt, in testamento principi alias debito modo oblato, utique attendenda sunt: Id, quod Imperatores L. citata 19. C. de test. in fine sat luculenter inculcarunt.

S. VI

DE TESTAMENTO CORAM SOLO &c. XXI

§. VI.

Princeps regalia aut immediate aut per alios medios, quibus lege vel generali vel speciali hanc facultatem concessit, exercere solet. (§. 510. cor. 7. Iur. Soc. Dn. Praef.). Nullus igitur dubito, quin princeps aliis mediis lege vel generali vel speciali, seu priuilegio facultatem dare possit, suo h. e. principis nomine testamenis priuatorum post praeuiam eorum rogationem impertiendi vim et auktoritatem legalem (§. 5.). Quin autem principes in iudicio rite constituto personas consiperent publicas, quarum aliae, scilicet iudices, ad iustitiam, aliae vero, nimirum secretarii et auctuarii, registraatores &c. ad acta iurarunt, adeo, ut conscientia ipsius iudicis, quae inter alias probatas personas, h. e. iuramento ad acta obstrictas, deprehenditur, non plane dissimilis sit conscientiae, qua princeps, cui testamentum offertur, inter tot nobiles probatasque personas coruscat. argum. l. c. 19. de test. Porro, cum principes aliis negotiis publicis grauioribus plerumque detineantur, princeps iudicio hanc concesserit facultatem.

C 3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-243230-p0023-9

XXII DISSERTATIO IVRIDICA IN AVGURALIS

ciuibus suis saluberrimis legibus prospicere optant, iudicio
lege generali facultatem concederunt, nomine principis testa-
mentis priuatorum post praeiam horum rogationem im-
pertidi vim et potestatem legalem, L. cit. 19. C. de testam.

Vlterius
explicatur.

NOTA : In eo quam plures inter se conueniunt Icti-
ea in actis iudicis seu apud acta fieri , quae in iudicio
seu in praefentia iudicij expediuntur. WESENB. in tit.
Pand. qui test. fac. n. 10. Licet igitur in L. cit. , non
tam iudicij, quam potius actorum iudicis et municipum
fiat mentio, quibus aliquis mentis suae postremum pu-
blicavit iudicium; dubio tamen caret, quin in L. cit.
sub actis iudicis aut municipum ipsum intelligatur iudicij-
um. Hinc quoque in variis legibus prouincialibus nostrae
legis interpretationes authenticæ occurunt, quae hanc
legem de ipso iudicio explicant atque declarant, uti vi-
debis in iure prouinciali Würtenberg. P. 3. t. 3. sub ru-
bro erste, 2te und 3te form. nec minus in statutis nostris
Suinfurtens. Sect. III. tit. XVIII. s. 2. his verbis:

So haben wir jedoch die Nothdurft zu seyn ermessen, derent-
gen zwehen in hiesiger Stadt absonderlich recipirt und übli-
chen modorum testandi apud acta hieben absonderliche Mel-
dung zu thun s. 2. nehmlich, so jemand in eigener Person,
entweder mündlich oder schriftlich, sein Testament, oder leg-
ten Willen, vor uns bey sitzenden Rath eröffnen, oder
übergeben und protocolliren lassen würde, daß solches eben-
so kräftig, als wenn es vor einem Notario und darzu absolu-
tisch erbetenen Zeugen geschehen wäre, seyn solle ic.

s. VII.

DE TESTAMENTO CORAM SOLO &c. XXIII

§. VII.

Priuilegium, quod imperator certo collegio vel Cur dieatur ordinis personarum lege generali concessit, priuilegium um in corpore iuris clausum. Illa igitur facultas, qua imperatores in lege cit. donarunt iudicia, testamentis priuatorum sibi oblatis conciliandi vim legis atque potestatem, optimo iure inter priuilegia iudiciorum in corpore iuris clausa collocatur. Et ideo post receptionem iuris Romani in Germania omnibus ac singulis iudiciis rite ordinatis, illud tam diu competit priuilegium, quam diu lege quadam provinciali vni vel alteri iudicio non est adentum. In poenam enim lege speciali alicui iudicio tale priuilegium adimi posse vel saltem exinde patet, quod quilibet status imperii vi superioritatis ex causa iusta leges ferre possit legibus communibus derogantes.

NOTA: Evidem haud ignoro, quod nonnullis interpretibus verba nostrae videantur enunciatiua potius, quam dispositiua. Sicut ergo securus erit, qui artis cuiuscunque iudicis aut municipum, aut auribus priuatorum mentis sua postremum publicavit iudicium, ita &c. Verum nihil obstat, quo minus in hac lege priuilegium s. ius singulare iudicio concessum adstruamus; Etenim iamiam in aliis textibus, quos citant LAVTERB. in disp. de testam. iudic. n. 31. FACHINEYS in Iure controv. L. 6. cap. 86. et

XXIV DISSERTATIO IURIDICA IN AVGVRALIS

et MYNSINGER Cent. 3. observ. 29, hoc priuilegium
aetis iudicum et municipum datum inter notoria refer-
tur, ideoque *iuri tradito* adscribitur. Hinc *Imperator* in
L. cit. hoc ius singulare iudicio donatum et traditum,
interpretatione sua authentica non tam verbis enuncia-
tivis recensere, quam potius his verbis dispositiuis *sicu-
ti securus erit*, declarare voluit.

CONCLVSION. Ius illud, quo imperatores le-
um compre-
tens non
requiratur. ge iudicia donarunt, testamentis priuatorum sibi oblatis
impertiendi vim legis & potestantem, inter regalia per-
tinet palmaria (§. 6.). et idcirco a iurisdictione, qua ceu
magistratus gaudent, diuersum est ad modum aliorum
iurium. e. g. meri imperii et iuris tutores dandi &c.
quae in libera Republica lege comitiali saepe numero
magistratibus quibusdum simul concessa erant. *Vnde*
facile patet, cur in ipso huius iuris regalis exercitio, ju-
dicii competentia non requiratur, id quod etiam verba
legis, aetis cuiuscunque iudicis comprobant. Tantum
igitur abest, vt huius iuris regalis exercitium, vt vulgo
fieri solet, ad actus Iurisdictionis voluntariae referam,
vt hanc potius relationem infra dignitatem huius iuris
regalis esse, et sententiae Imperatoris, in L. cit. tradi-
tae prorsus repugnare certo persuasus sim. Ipse enim
Imperator in L. cit. asserit, omnium testamentorum sole-
nitates superare videtur, quod insertum mera fide preci-
bus

bus inter tot. Nob. &c. Quis autem vñquam afferit, iudicem omnium legum solemnitates superare; Testamentorum quippe solemnitates quoque sub Legum solemnitatibus comprehenduntur. Hoc prædicatum nemini, nisi Principi competit, qui legibus suis minime subiectus, ideoque omnes legum solemnitates, si velit, lege contraria superare valet. Iudex potius quantum talis, omnes legum solemnitates sancte custodire debet, alias vitii nullitatis in suis gestis etiam municipalibus accusatur. Quare iudex neutiquam vi iurisdictionis hanc iuris regalis praerogatiuam habere potest, sed, vt illam exerceat, peculiari beneficio a principe concessa indiget. Ceterum tamen ex hoc principio erroneo plura in praxin non minus ac theoriam promanarunt, iuris oeconomiae et menti Imperatoris contraria, a nostratis tamen ICtis hinc inde iterum emendata.

§. VIII.

Quamquam iudicio regulariter certus locus, quem FORVM vocant, et in quo considere iusque dicere solet in republica, assignatus sit; ista tamen loca, quae arbitraria sunt, ipsum iudicium neutiquam, quin potius personae, quibus iurisdic̄io concessa, constituunt. Cur iudicium in aedibus testatoris testamentum recipere poslit.
Quam ob causam nihil obstare mihi videtur, quominus, re ita exigente, iudicium alium in locum se conuertere, ibidemque iura sibi demandata exercere possit:

D

XXVI DISSERTATIO IVRIDICA IN AVGURALIS

fit: vti quoditie videbis in oculari inspectione, obsignatione, inuentarii confectione &c. peragenda. Quum autem ius testamentis ciuium ad rogationem testatorum vim legis et au&toritatem conciliandi iudiciis in lege citata peculiari concessum fuerit, (§. 6.) ; Nostrates ICti non dubitarunt, quin iudicium, ad preces alicuius testatoris morbo vel alio modo impediti in domum eiusdem conuenire, atque ad rogationem testatoris testamento suo oblato vim atque potestatem legalem impertire possit. Nec est necesse, vt omnes semper personae iudicij conscriptae ad testamentum, in actibus testatoris recipiendum conueniant. Praeses enim, vti ius canonicum sanciuit Cap. Vlt. X de officio et potestate iudic. deleg. quasdam tantum personas ad negotia iudicij extra locum eiusdem delegare valet. Sufficit igitur, si praeses iudicij imploratus ad testamentum istud in domo testatoris recipiendum tot talesque personas deleget, quot qualesque ad iudicium rite constitendum necessario in L.L. desiderantur. Ea propter tot talesque personae necessario ex gremio iudicij, a praeside in casu dato sunt eligendae, quarum aliae ad iustitiam, et aliae ad acta iurarunt. (§. 6.).

Vlterius
explicatur.

NOTA: Talis enim testamenti corroboratio a iudicio facienda procul dubio est res magni, vt plurimum praeiudicij, uti ad (§. 1.) indigatuimus: idcirco omnis falli-

1.16.

DE TESTAMENTO CORAM SOLO &c. XXVII

falsitatis suspicio esse debet remotissima. *L. vlt. C. de Fideicommissis*; nec desunt iniqui iudices, qui saepe numero iustitiae obliti, artibus hereditarum illicitis in fraudem liberorum aliorumque cognatorum indulgere neutquam erubescunt. Hinc iterum leges provinciales Wurtembergicas admodum laudo, quae ad tales receptionem testamenti in domo testatoris rite faciendam praeter actuarium, vel eiusdem substitutum iuratum, adhuc quatuor iudicij assessores delegatos desiderant. In iure prouinc. Wurtenberg. *P. 3. t. 3. form. 3.* his verbis: da aber eine testirende Manns- oder Weibsperson nicht persöhnlich für Gericht erscheinen wolle, ober könnte; So mag dieselbige vier Gerichts- oder Rathsverwandten sammt dem geschworenen Stadt Amts- oder Dorffs. Schreiber oder an eines Statt oder Amts-Schreibers Statt desselben geschworenen Substituten zu sich berufen se.

CONCLVS. Secundum mores hodiernos scabini aliique iudicij assessores ut plurimum ad iustitiam aequae ac ad acta iurare solent. Antiquis enim temporibus, Scabini, quod ius, quo vtebantur Germani, ex consuetudinibus ideoque longa experientia tantum cognoscerent, iudici a consiliis erant; eamque ob causam tantum ad iustitiam iurare solebant; Posteaquam vero Germania peregrinis quoque iuribus vti coepit, scabini vulgares aliique iudicij assessores, etiam illiterati, a iusti-

Cur iudex
imploratus
Scabinos,
alios ue
dicij assel
fores dele
gare possit,
ad testam
receptio
nem.

XXVIII DISSERTATIO IVRIDICA IN AVGVRALIS

administratione, non plane arcebantur. Mores enim isti et statuta loci cognita habere debent. Hinc quoque hodie iustitiae iuramento obstringuntur, atque a magistratu in variis actibus iudicij nomine expediendis, delegantur; Ceteroquin vero in iis, quae apud acta h. e. in iudicio geruntur tanquam testes publica autoritate et cum iuramento ad acta constituti adhibentur. LEYSERI Spec. 70. per tot. Quare oeconomiae iuris hodierni admodum conuenienter iudex imploratus a testatore etiam scabinos vulgares aliosue iudicij assessores, licet illiterati sint, ad testamenta, a testatore domi recipienda, delegare potest, quae deinde ex iussu iudicis ad acta renuntur.

§. IX.

Casus gene-
rales Testa-
menti iudi-
cialis for-
mantur.

Testatorem suam voluntatem ultimam verbis vel scriptis vel nuncupatiis declarare, ideoque testamentum in scriptum et nuncupatiuum dispartiri posse h. l. suppono. Illud tamen silentio praeterire nolo, quod testamentum scriptum, vel ab ipso testatore scribatur, quod holographum vocant, vel saltem ab eodem subscribatur, ita tamen, ut in ipso testamento huius subscriptionis fiat mentio: Conf. Respons. II. §. 2. Dilucid. Pand. prael. I. Dn. Praef. adiectum; porro, quod testamentum nuncupatiuum in scriptum non transformetur, licet

DE TESTAMENTO CORAM SOLO &c. XXIX

licet testatoris nuncupatio in scripturam redigatur, modo ab ipso testatore dicta ratione non subscriptum. *M*inima enim, quae ita forsitan alicui videtur, circumstantia in testamento iudicio oblato, saepenumero ad testamentum infirmandum aliquid conferre potest.

CONCLVSIO I. Testator autem coram iudicio rite alias ordinato, vel ipse comparere et petere potest, ut testamento suo vim legis impertiat, aut per alium scilicet mandatarium. *In primo casu*, si testator ipse compareat, suamque rogationem in iudicio rite ordinato exponat, testamentum, nisi interna testatorem vel haeredem respicientia deficiant, post receptionem iudiciale confirmatur, siue scriptum ponas siue inuncupatiuum, modo deinde ad acta repositum, cum protocollo defununcupat. per confecto ibidem deprehendatur; secundum ea, quae §. 6. tradidimus. Nec nocet, si forsitan schedula oblationis, quae regulariter testatori, recognitionis loco, in iudicio traditur, in scrienis testatoris non amplius post mortem eiusdem inueniatur. Quod si vero vrrumque, et registratura seu protocollo super oblatione testatoris confectum et schedula recognitionis judicialis post mortem eiusdem deficiat; tunc nil, nisi testes idonei, qui in actu oblationis adfuerunt, duo vel saltem remanent; quorum ex depositione heres institutus oblationem testamenti, debito modo a testatore factam, pro-

D 3 bare

XXX DISSERTATIO IURIDICA IN AVGVRALIS

bare valet; idque ex ratione supra ad §. 5. Concl. 2. et 3. exposita.

CONCLUSIO. 2. In altero vero casu, quo testator per procuratorem testamentum suum in confessu iudicii debito modo ad corroborandum offerri curauit, plures in theoria non minus, quam praxi occurrunt disceptationes. Nos duas species, quae sub hoc generali continentur, primum discernamus; *Istud enim testamentum vel scriptum est vel nuncupatum.* Evidem haud ignoro, plures dari Dd., qui nullum plane testamentum per procuratorem iudicio rite alias constituto, cum effectu offerri posse, sibi persuadent. Verum haec sententia, si testamentum scriptum ponas, cum oeconomia iuris cohaerere, mihi non omnino videtur. Etenim negotia etiam grauissima, quibus vtique testamentum annumeratur, per procuratorem specialissimo mandato instructum, valide in iudicio et apud acta peragi posse, tamdiu saltem afferendum, quam diu lex specialis allegari nequit, quae necessario personae principalis praesentiam requirit. Tantum autem abest, vt lege citata praesentia testatoris testamentum oblati requiratur, vt potius ex *precibus principi oblati*, quarum in L. cit. mentio fit, non obscure legis permissuiae indolem agnoscere possis. Obiicis quidem, testatorem quondam in comitiis praesentem fuisse, et hancce testamenti corroborationem, quam

f. 10.

DE TESTAMENTO CORAM SOLO &c. XXXI

quam quis a principe vel iudice impetrat, publicam testamenti factionem comitialem imitari; sed nec hoc obstat censeo. Imperator enim expressis verbis, testamentum principi aut iudicio debito modo oblatum, omnium testatorum solennitates superare debere, sanciuit. Quoniam vero in causa testamentaria tanquam re maximi momenti omnis falsitatis suspicio esse debeat remotissima, et veritas perfectissima exigatur; L. vlt. in med. C. de *Fideicommissis Testamentum per Procuratorem iudicio cum debita testatoris rogatione oblatum*, tunc demum effectus nanciscitur, si testamentum holographum vel saltem in omnibus paginis a testatore cum hac adiectione dies est iste mein letzter Wille, manu propria subscriptum, nec minus mandatum, quod procurator cum ipso testamento scripto iudicio tradidit, specialissimum fuerit, ab ipso cum primis testatore scriptum vel saltem subscriptum et testatoris sigillo corroboratum. Stryk de caut. test. cap. 8.
Leyser ad Pand. Specim. 354. m. 4.

